

## QUÆSTIO VIII.

*An Ecclesia usq; ad finem mundi sit du-  
ratura.*

**N**egativa est Socinistarum, Ostorodi, Schmalzii, Volckelii &c. Affirmativa verò orthodoxorum, qui ad unum omnes statuunt, Ecclesiam usque ad finem mundi duraturam, sive visibilis ac conspicua ea sit, sive invisibilis atque occulta. Nos cum Theologo ἑρθεδοξάτω Calovio Socin. *Profligat. p. 883. & Exegem. A. C. Artic. 7. c. III. n. I.* ex præsentī dicto Christi ita concludimus: Quod nulla infernalis potentia, nulla vis potestatum & principum hujus mundi, nulla machina spiritualis improbitatis superare & expugnare poterit unquam, tenore promissionis Christi, id virtute Dei perennabit & servabitur omni tempore. De Ecclesia Christi Catholica in his terris militante verum est prius, E. & posterius. *Excipiunt* quidem Sociniani, *infernum* nunquam in Scriptura Diabolum significare: quia Diabolo nihil cum inferno jam commercii, qui suo tempore cum morte & inferno ipso in stagnum ignis conjicietur Apoc. XX. 10. *Resp.* (1) Non hic de inferis, sed de portis inferorum agitur h. e. de potentia infernali, quâ nihil aliud, quam potentia Diaboli ceu Principis inferorum designatur. (2) *Petitio est principii*, Diabolum nunc non esse in inferno. Contrarium liquet ex Luc. XVI. 23. seq. Matth. XXV. 41. 2 Pet. II. 4. (3) *dictum Apoc. XX. 10.* non ostendit, Diabolum jam esse sine cruciatibus, sed quod in executione Judicii graviori adhuc supplicio sit afficiendus. *Deinde excipiunt Sociniani per infernum designari statum mortuorum,* ac sensum esse, illos qui Christi sunt, in statu mortuorum æternum derineri non posse. *Resp. Magnus Calovius l. c. statum mortuorum* Græca voce ἄδης alicubi designari simpliciter nondum evictum est. Nee ea significatio hic locum habere potest: tum quod hic non de detentione in aliquo statu, sed de vi ac potentia haud prævaliturâ adversus Ecclesiâ agatur, uti verba ipsa testatur, tum quod hoc proprium non sit, solum credentium non manere in statu mortis, quum etiam impii à mortuis resuscitandi sint, atq; ita in statu mortuorū non sint remansuri, tum quod hic de Ecclesiâ totâ extruenda super Petram Christum, promissio fiat, eam

E

sic